



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Cerevisia Paderbornensis. In Lycurgum Medicum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

70 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Sanguine nunc illi successit clarus avito,
Nec minus Aoniæ Torckius arte Lyra.
Fons quibus hic liquidas fundens argenteus undas,
Miscet Apollineo pocula digna choro.
Hoc tamen uberior Torcki tua, quo fluit Alpha
Purior hæc vestræ vena perennis aqua.

CEREVISIA PADERBORNENSIS.

INCOCTOS latices flori, Cererisque lupique
Grata bibens Paderæ munera, Bacchus ait:
Sic me Gnoffis amet, Paderæ nec fontibus amnis
Uberior nitidis ullus abundet aquis.
Nullus ager sic alma Ceres, his lætior agris,
Plura ferat capiti spicea ferta tuo.
Ut Paderana sitim melius Cerevisia, nostro
Quam Ganymedæum pellit ab ore merum.

I N
LYCURGUM MEDICUM
CONVALESCENTI MUSARUM COMMERCIO
INTERDICENTEM.

DUM prohibet medicus dare dulcibus otia
Musis,
Et putat hoc ortam fonte redisse febrim:
Illi subridens Musarum Præses, & idem
Inventor medicæ Cynthius artis ait:
Desine me febris, quarta quæ luce recurrit,
Desine Pierias insimulare Deas.